

trinsecè accidens includit, potest esse principium intrinsecum Individui substantialis. Jam autem ens per accidens includit accidens, cum constet ex substantiâ & accidente. Ergò.

§. 20. Vera tandem sententia est, quod Principia Individuationis substantiæ compositæ sint *hæc materia*, *hæc forma*, v.gr. principia Petri, tanquam substantiæ compositæ singularis sunt hoc corpus, tanquam materia, & *hæc anima*, tanquam forma. Quæ adsertio probari potest h.m. *Si materia & forma in Universali constituunt substantiam compositam in Universali*, v.gr. *vel animal vel corpus*, sequitur, quod *materia & forma in singulari*, s. *hæc materia & hæc forma constituant substantiam in singulari*; Antecedens est verum E. & consequens. Hoc autem non est ita concipiendum, quasi materia & forma in singulari sint diversa à materiâ & formâ in Universali, in reipsâ enim unum sunt, & saltim quoad nostrum concipiendi modum differunt.

C 2

Quæstio